

15  
3

E P I T A P H I A

22  
SCITISSIMÆ VIRGVN-  
CVLÆ ANNÆ, FILIÆ REVE-  
RENDI AC DOCTISSIMI VIRI, DN. IO-  
hannis Siderij, Pastoris Ecclesiæ Tartzalinae  
fidelissimi &c. quæ decimumquartum men-  
sem ingressa obiit ii. die Decembris,  
hora diei 10. Anno 1586.

Scripta à Johanne Siderij

Patre moestissimo & quibusdam illius amicis.

INSERTAE SVNT ETIAM BREVISSI-  
ma παρακλήσεις ad eundem DN. IOHANNEM  
SIDERIVM, mortem filiolæ acer-  
bè ferentem.

Sapient. 4. vers: 7:

Iustus etiamsi præmatura morte obeat, quiete  
tamèn perfruetur.



1586. VVITEBERGÆ

Typis Clementis Schleich.

EPITAPHIUM  
FILIAE CHARISSIMÆ <sup>25</sup>

ANNÆ, QUÆ DECIMUM QUAR-

tum mensem ingressa obiit 11. die

Decembris hora diei 10.

Anno 1586. scriptum

à

Parente mœstissimo. +

**B**lebilis exemplar vitæ, sua gaudia Ianus  
Cuncta Siderius, hac mole sepulta  
tenet.

Cujus perpetuis cumulata doloribus  
Hac una saltem prole beata fuit. (ætas,  
Quæ veteres curas quantum relevaverat, auxit  
Morte sua in tantum fata severa patris.  
Sed quia cedendum fati; mea sola voluptas  
Nata vale, lætus jam tua busta sequar;  
Quæ non marmoreis fulgent ornata lapillis,  
Viva sed hîc arbor, pomaq; grata nitent.  
Pomus enim mortis causam spectantibus adfert,  
Ac simul è terra surgere membra docet.  
Non secus ac gelidis arbor depasta pruinis  
Interit, ast iterum vere tepente viret;

A ij

Sic

Sic modò quæ gremio terræ conclusa quiescunt  
Corpora, voce Dei mox rediviva micant:  
Inde pij clangente tuba, rapiuntur ovantes  
Regis in occursum regnaq; celsa poli.  
Felicis animæ quibus hic data portio vitæ est,  
Fac nos participes, unica Christe salus,

E Y N O E N.

AD PATREM ANNÆ, Dn. IOAN-  
NEM SIDERIUM

**D**elicias animi, & vitæ solamen acerbæ  
Ereptum quereris, Iane colende, tibi?  
Iusta licet mœstæ non desit causa querelæ,  
Adde tamen lacrymis tristitiæq; modum.  
Sors manet hæc omnes mortali lege creatos,  
Nec sine lamentis vita trahenda datur.  
Quin magè chara DEO est ærumnis subdita turba,  
Nec pietas exors ulla dolore fuit.  
Debita naturæ mors est, non ultima flenda  
Tempora, sed tanti fons & origo mali.  
Præstat ut innocui cœlesti sede locentur,  
Quos vocat ad cœli regna beata Deus:

Quàm

Quàm tot criminibus pressa tellure morentur,  
Sæpius & lædant improbitate Deum.  
Quid quod & ipse Deus venientia fata videre  
Non sinit hos, quos vult ducere ad astra poli.  
Quare agè sume animum, & tristes rescinde que-  
Teq; dolore gravi, frater amande, leves. (relas,  
Filia jam Christi, cœlestibus addita nymphis,  
Regna tenet, veris perfruiturq; bonis.

Thomas Fabricius Tholnensis.

ALIVD EPITAFIUM.

**H**ac tegitur tumba, pomo decorata virenti,  
ANNA decus matris, deliciûmq; patris.  
Dilectum poterat jam balbutire parentem,  
Et poterat charum voce referre patrem,  
Cum fera mors hujus lethali forcipe vitam  
Scindit, & in laqueos pertrahit usq; suos.  
Heu quæ non patri, quæ non lamenta parenti,  
Quos gemitus obitu non dedit ista suo?  
Nam velut ambobus fuit unica sola voluptas,  
Sic utriq; gravis causa doloris erat,

A iij Attamen

Attamen hæc iterum vivet venientibus annis,  
Et repetet corpus mens revocata suum.  
Hoc arbor vicina notat, quæ tempore veris,  
Frigore detonsas, est habitura comas.

Iohannes Czanadius scribebat.

*EIVSDEM JOHANNIS CZANADIJ, ad ornatissimum virum Dn. Joannem Siderium, brevissima παράκλησις.*

**E**RGO IANE pios inter celeberrime vates  
Interitu natæ saucia corda geris?  
In lacrymas ergo sic es resolutus amaras,  
Ut jamjam cupias tristia busta sequi?  
Hei mihi quid video? quid te venerande Sideri  
Excrucias? quid sic sollicitasq; Deum?  
Eja agè siste tuos gemitus, suspende dolorem,  
Ora nec ulterius lacryma fusa riget.  
Nam benè cū sobole est actum, quā rebus acerbis  
Præreptam in supera nunc tenet arce Deus,  
Illaq; (si nequeunt mentiri Biblia sacra)  
Nil in sede poli, cur lacrymetur, habet.

Abstulit

Abstulit hæc Dominus: Domino ergo cede fereti,  
Nec natæ invidias cœlica regna tuæ. 25  
Est erepta prius quàm velles? Nostra voluntas  
Pareat, in cunctis subdita sitq; Deo.  
Nam Deus hic justè moderatur fata, nec antè  
Vel post quàm justū est vitaq; morsq; venit,  
Et iusta est illi, quamvis incognita nobis,  
Causa quòd hos pueros avocat hosq; senes,  
Si parvum ergo tibi tua vixit filia, justum est,  
Hacq; tuum vulnus fac ratione leves,  
Deniq; flebilibus tua si præcordia curis  
Scinduntur, natæ num comes esse potes?  
Num tibi commissum natæ postponis ovile?  
Istius an damno mortis adibis iter?  
Dij melius, Certè nec te reor ista probare,  
Idcirco votum corrige, amice, tuum.  
Ne lacrymes, sed fide Deo, sis fortis in istis  
Casibus, & votis vtere, victor eris.  
Militiam esse scias, quodcunq; hîc vixeris ævi,  
Propterea pugnes in statione tua.  
Mox Christus viridi tua cinget tempora lauro,  
Et dabit æterna prosperitate frui.

Aliud

ALIVD EPITIA.

PHIVM.

CHara patris soboles sanctas abrepta sub arces  
Amplexu fruitur, colloquioq; Dei.  
Corpore lugubri hac tacitè requiescit in urna,  
Vivit ad æternos spiritus ipse dies.  
Hanc si fata diu servassent, magna parentis  
Gloria cum summa laude futura fuit.  
Nam tenero vultus referebat in ore paternos,  
Et facies castæ lactea matris erat.  
Optima venturæ virtutis in ore venustas,  
Et benè composito corpore signa dabat;  
O mors crudelis teneram cur demetis herbam,  
Olim quæ poterat flore beare patrem:  
Nil adeo felix rerum natura creavit,  
Continuum ut teneat prosperitatis iter.  
Interdum rebus miscentur amara secundis,  
Hacabeunt hominum tempora cuncta vice.  
Sicut depositum, sic vita reposcitur, & nos  
Vertimur in putrè quæ modo eramus humū,

Filia

FILIA AD PA-

RENTES.

26

Siste tuos ergo Genitor charissime luctus,  
Iuris in hanc vitam mors habet atra nihil.  
Est tua grata quidem pietas, sed desine tandem  
Desine jam mentem scrutari tuam.  
Tu Genitrix etiam casti decus Anna pudoris  
Pone modum lacrymis en precor ipsa tuis,  
Nam licet in tectis putrescant membra cavernis,  
Æternum vivit Spiritus ante Deum.  
Olim læta meos vultus, faciemq; videbis,  
Pars animæ genitrix non nisi magna meæ,  
Michael Cibradius.

*Carmen consolatorium ad  
Parentes.*

Larga Dei bonitas patribus pia pignora donat,  
Reddere quæ justo tēpore quemque decet.  
B Non

Nō propriè est soboles, nec dicitur esse parentum,  
Hi modo præfecti nomen in orbe gerunt.  
Ergo si Dominus repetat sua dona, ferendum est,  
Proq; vsu grates huic cecinisse, pium est.  
Filiolam à vobis hac nunc ratione parentes  
Ingressam vitæ limina prima, tulit.  
Ne mundi raperent sanctam commercia prolem,  
Neu gentis premerent damna futura suæ.  
Constituitq; loco, quo deinceps funeris expers,  
Non metuit fortis deterioris onus.  
Quó nec acerba fames, sitis aut pertingere dira,  
Cura, dolor, morbus, noxa ne cvlla potest.  
Sancta vbi SARA, piæq; nurus, Samuelis & ANNA  
Mater nunt vivunt, ANNA QVE fatidica.  
Desine voce igitur, genitrix, offendere cœlum,  
Nec duram mortem, duraq; fata voca.  
Te quoq; chare pater, mixtam felicibus umbris  
ANNAM, ne lacrymis amplius, oro, gemas.  
Sit tibi solamen, summo quod morte Parenti  
Reddita, perpetuis gaudeat illa bonis.

Basilus VV. Szepsinus.

ALI

ALIVD EPITAPHIVM EI-  
VSDEM ANNAE, CVM ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΕΙ  
*consolatoria ad Parentes.*

ANNA iaces patris matris quoq; sola voluptas,  
Ante diem fato (proh dolor) ANNA iaces?  
Menstrua bis septem iam Luna repleuerat orbes,  
Tecta serenati cūm petis Anna poli.  
Sic cadit ante diem, molli decerptus in herba  
Flosculus, aut tenera stirpe revulsa rosa.  
Digna quidem fueras vita, si fata dedissent;  
Nam patris & matris dulce levamen eras.  
Sed bene habet: medio quia raptam è turbine rerū  
In gremio Christi gaudia mille fouent,  
Angelicosq; inter cœtus splendore coruscas,  
Claraq; supremi conspicias ora Dei.  
Tempus erit corpus cum iam tellure resurget  
Occurresq; oculis suavissimis, ut antè, patris.  
Et tua conspicient placidissima lumina matrem,  
Illius iungens oscula millegenis.  
Nunc fœlix nimium, finis quod cœpit ab ortu  
Nec nostra alterius cernis, adulta, mala.

B 2

Iam

Iam tu parce parens lacrymis, venerande Sideri,  
Magne vir ingenio, semper amate bonis.  
Cede tuo, quamvis justo, concede dolori:  
Ne mœror nimius possit obesse tibi.  
Nil dolor ille iuvat: longasq; iterare querelas  
Nil prodest: releves ut tua damna, feras.  
Nam tua quòd cœlum dulcissima nata petivit,  
Æterni illius mens fuit ista Patris.  
Et grave sic fuerit nos victos cedere nolle  
In quo nostra sita est vitaq; morsq;, Deo.  
Ergo cane turbes natæ lacrymando quietem,  
Iram cœlestis commoveasue Patris.  
Omnia sunt hominum Parcis subjecta: nec ulli  
Horrida Parcarum parcere turba solet.  
Est tibi, sitq; precor, soboles nunc altera ab illa,  
Quæ natæ poterit tergere fata tibi.  
Illa tuas etiam lacrymas minuâtq; dolorem,  
Illa tuis lacrymis quæ medeatur, erit.  
Definite orbatî mœstiq; dolere parentes,  
Quamvis mors rapuit, non tamen Anna perit.  
Annam namq; Deus, mundatus hisce relictis,  
Consortem Angelici maluit esse chori.

Quin

Quin age vive diu, fœlix, cum conjuge casta,  
Vt possis pulchra prole beare domum.  
Vive sed antè vide, tristem moderere laborem,  
In cœtu Domini docte Sidere vale.

Nicolaus T. Debrecinus.

### ALIVD.

Quàm citò prætereant fugientia tempora vitæ  
Humanæ, fidei dogmata sacra docent.  
Nec non subtristis facies miserabilis ævi  
Hoc monuit matrem, præmonuitq; patrem.  
Nuper enim fueram proles generosa parentis,  
Vnica spes nostri luxq; decusq; chori.  
Ast hîc nunc subitò naturæ debita solvens  
Anna patris claro sanguine nata cubo.  
Bis septem menses numerâram corpore quando  
Tellurem, ast animo cœlica regna peto.  
Tempus erit quando mortalia corpora Christus  
Restituet vitæ, ac ducet ad astra poli.  
Cur igitur frustra lugetis fata parentes?  
Hoc nam sub tumulo molliter ossa jacent.

Sydereas

Sydereas animus contrà super æthera scandit  
Arces: jam lachrymas fundere mitte pater.

Balthasar P. Miscolcinus Vngarus.

ALIVD.

Indidit hanc *soçylù* natura parentibus, ut sic  
Pignora legitimi cara cubilis ament.  
Ergò Annam luctu raptam quòd chare Sideri  
Excipis, haud temerè, sed ratione facis.  
Illius inq; rogos lugubria carmina, mœstus  
Concinis, ut queruli signa doloris habes,  
Iam quia nata tuæ spes occidit unica vitæ,  
Quæ poterat biæsos reddere nata sonos  
Quattuor atque decem jam Luna peregerat orbis,  
Vbere cùm matris mors inopina tulit,  
Quæ te læticia patrem (dum viveret) ah quam  
Leniit innumeris cum genitrice modis.  
Ne tamen, hoc caveas, divos querimonia lædat  
Nec gemines fletu, tristia fata, tuo.  
Ritè sciens, animam in superas quod duxerit arces  
Christus, in Abrahami transtuleritq; sinum.  
Suscit

Suscitat illius tumulataq; corpora, tumbâ  
Cum reprobos homines vindicat ira Dei.  
Mutua vos iterum junget præsentia, quando  
Interitum mundi fabrica pulchra trahet.  
Felix qui purus superas migrabit in auras,  
Qui puer aspectu perfruiturq; Dei.  
Iam tuus ætherea, soboles pia spiritus, aula,  
Molliter in tumulo membra sepulta cubent.  
Ac tua busta novâ viridis flos vestiat umbrâ  
Ac Philomela suo mulceat ossa sono.

Alexander R. Szamoskozi.

